



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

S. Rainerius C. 17. Iunii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

MATRE, & aliis Cælitibus obvius SPONSUS venit: quibus ducibus in cælos abiens, errare etiam cæca non potuit. *Ex Surio & Lippeloo.*

Putásne Filium Dei reputat JESVM, quisquis ille est homo, qui ipsius nec terretur comminationibus, nec attrahitur promissionibus, nec præceptis obtemperat, nec consiliis acquiescit? S. Bern. in Serm.

S. RAINERIUS C. 17. Iunii.

RAINDERIVS Pisanus cupiditatum æstu abreptus, ad infames adolescentiæ scopulos naufragium innocentiae fecit: enatavit tamen arreptâ pœnitentiæ tabulâ, & Sacerdoti expiandum se stitit. Sed obstitit noxius pudor, ne omnia probra detegeret: donec Angeli voce silentium increpantis animatus bonâ fide se reum peregit. Judex confesso mulctam nullam imposuit, profectus ejus arbitrium cæleste sibi numen reservasse: ex eo tempore cum finem flendi nullum faceret, oculi cum lacrimis extillarunt, tanto parentis dolore, ut vitam abrupturus sibi fuerit, nisi Deus precanti lumen reddidisset. Publicus deinde pœnitentiæ præco factus, reversusque Hierosolymis inusitatam in paternis ædibus Mephitin est odoratus. Causam indaganti, ita olere opes, Christus respondit, cæterumque luxus apparatus. Ergo iis quoque abdicatis, Hierosolymitanum iter radi sago indutus repetiit, ad durissimas leges vitam omnem exigens, maximè postquam sobriè cum viro sacro prandentis linguam vespa aculeo fodit, velut temperantiæ vindex. Posthac enim ad panem & aquam obsonium nullum adhibuit: condimenta tamen cælo petebat, sæpe Christum cum Matre habere convivas solitus, quod prodigiis omnibus,

quæ

17. Junii. VITÆ SANCTORVM. 303
quæ plurima patravit, illustrius fuit. Hoc illum
contubernium sanctum fecit, miracula probarunt.
Mortem an. M. C. LXI. obiit. Nos ejus virtutes ta-
ceremus, si sua olim scelera tacuisset. *Ex Phil. Fer.*

*Heu cur erubescis confiteri, quod facere nequaquam
erubuisti? Melius est coram uno aliquantulum ruboris
tolerare, quàm in die judicii coram tot millibus homi-
num gravi repulsâ denotatum tabescere. S. Aug. de
Visit. Infir.*

S. AVITUS CONF. 17. Junii.

Ostendi utique AVITVM Deus mundo vo-
luit, cui tantam nascenti lucem circumfudit,
quantam humani oculi ægrè paterentur. Ipse ta-
men latebras quæsiuit Mictianensi monasterio ab-
ditus, magni nominis famam adeò non affectans,
ut nullo se libentius quàm Bruti vocabulo com-
pellari audiret, præter spem votumque ad hono-
ratoria munia productus, fugam iteratò iniit, &
inter nemorum avia mapale molitus, sibi Deoque
vixit. Sed illum nocte intempestâ cælesti radian-
tem luce subuleus reperit, nullo magno viri in-
commodo, nisi in eam usque diem elingui, & mu-
to signo crucis loquendi facultatem dedisset: quid
enim ille prolixius postea, quàm sui medici laudes
loqueretur? Ejus præconio proditus, tertiam fu-
gam parabat, nisi Præsulum auctoritate motus,
boni publici rationem privatis commodis porio-
rem habuisset. Ex intervallo cæco lumen, mortuo
vitam reddidit, quibus rebus adeò populorum ad-
versus eum accensa studia sunt, ut Aurelianenses
Dunensesque mortui exuviis inhiantes, propè ad
arma venerint. Jam castra castris opposita stabant,
concursumque fuisset, ni Leusus quispiam summo
gene-